


DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS, manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis vigeſimâ Aprilis M. DCC. XLI.

M. JOSEPHO DE JUSSIEU, Doctore Medico Præſide, illius vices gerente M. ANTONIO DE JUSSIEU, Doctore Medico, Regi à Secretis, Regiæ Scientiarum Academiæ, Regiarumque Societatum Angliæ & Pruſſiæ Socio, necnon Botanices in Horto Regio Profeſſore & Demonſtratore.

Litteratiſne ſalubris Café uſus?

I.



MEDICINAM ad libitum cavillatores laceſſant, eam ſemper à conjecturalis ſcientiæ opprobrio Diætæ neceſſitas vindicabit. Hygieines legibus uterque ſexus, ætas omnis, quælibet conditio adſtringitur. Rerum naturalium uſum variant temperamentorum, morum, ingeniorum, locorumque diſcrimina. Non iiſdem aluntur cibis Ruricolæ ac Oppidani; victûs rationem aliam Principes Magnateſve, aliam Cives Plebeiique poſtulant. Suos habent morbos otioſi Divites; habent & ſuos Opifices innumeri. Tot Artium, tot peculiaria in morbis Symptomatum genera. Muſarum alumnos, genus Virorum nobile, non earum tutela, non ipſa ſtudiorum di-

gnitas incolumes præstat. Numerosam nimis ægritudinum seriem, laborum suorum stipendium, heu! sæpiùs experiuntur. Harum prima origo in animo posita est. Immoderatum sciendi cacoethes, famæ apud posteros cura, inanis auræ appetitus, æmulationis stimulus, quæstûs plerumque aviditas, pathemata sunt quibus Litterati homines miserrimè excruciantur.

I I.

QUANTA studiorum, tanta ingenii laborum varietas. Politioribus ille Litteris difficilem operam navat; hic sui oblitus in altâ meditatione Metaphysicâ mergitur; historicis criticisque disquisitionibus alius incubat; ille carminis metri, aut numeri aucupio torquetur; palàm dicturi Orator, Causidicus, Ecclesiastes assiduâ repetitione memoriam fatigant. Singulorum multiplex illud opus uno spirituum animalium dispendio exercetur; è massâ sanguinea in cerebro secreti ad naturalium functionum voluntatisque obsequium in nervos fluunt. Generosi liquoris hujusce major minorve jactura studiosis morborum ferè omnium fons est. Afficitur primùm stomachus, vitiatur digestio, succedunt ructus acidi, nidorosi, nausea, vomituritiones ac Colici dolores. Chylus minùs ritè defæcatus exquisitâ suâ conditione orbatur, sanguineam molem inficit; hinc secretiones depravatæ, hinc lympha minùs alibilis, hinc macies, genarum pallor, alvi pigritia, Arthritici, Nephriticique dolores, Calculus, Hydrops. Ex sanguinis verò viscididate, statariæ vitæ supplicio, infarciuntur viscera; undè membrorum lassitudines, melancholici affectus, Icterus, Hæmorroides, Asthma. Totam malorum turmam pro cujuscumque temperamenti, victûs & studii genere variantem numerare magnum opus; quantò majus præstiterit, qui illis salubri ac grato quodam potu è familiari hygieines penu deprompto occurret.

I I I.

SEMINIS Reipublicæ Litterariæ salutiferi cognitione ætas nostra illustratur. Multa de ejus historiâ commenti sunt quamplures sæculo proximè elapso, nova referre nostro datum erat. Arbor quæ illud producit, unico Arabiæ Felicis solo gaudere credita, improbâ arte Amstelodamum à Batavis translata, in Regium Parisiensem Hortum successit. Hìc educata peculiare genus ostendit, quod *Coffea* deinceps nuncupandum, & in eâ Botanices methodi classe, quæ Rubiam, Aparinem, Gallium &c. regionis hujusce herbas indigenas complectitur, reponendum est. Ramis hinc inde binatim è caudice enascentibus assurgit, cortici cinereus inest color, folia ex singulorum ramorum nodis stipulâ triangulari & cuspidatâ utrinquè obvolutis & quasi vaginatis, bina ac ex adverso posita erumpunt laurinis ferè similia, hilariùs tamen supernè virentia, infernè pallidiùs, molliora, saporem odoremque nullatenus aromaticum spirantia; in ipsis foliorum alis & è stipularum utroque sinu tres ut plurimum nascuntur pedunculi breves qui florum totidem rudimenta sustinent intra foliola & stipulas minimas recondita; flores expansi sunt monopetali albi, jasmini petalum formâ referentes, singuli insidentes embryoni ovato exiguo, cujus apici vix conspicuum, brevissimum, quinquedentatum inest perianthium; his odor suavis: stamina quinque ad incisuras limbi posita, medium floris occupant: stylus pistilli simplex è centro glandulæ nectariferæ embryonis verticem coronantis assurgens tubum floris perfodit & desinit in stigma bifidum; embryo post floris delapsum fit fructus: primùm virescens milii magnitudinem, dein crescens Cerasum adæquat, mox rubescit, ac perfectè maturus ex rubro infuscatur. Huic caro subrubra, nonnihil viscosa sapore ingrato, exsiccata fit gratior, geminam frequenter, rariùs unam involvit capsulam friabilem, subluteam, tenuem,

ex unâ parte gibbosam, ex alterâ quâ junguntur invicem planam sulcatam. Capsulæ involucro reconditur Semen ex viridi albicans, callosum, ovatum, convexum suprà, subtùs aliquatenùs planum ac profundè in medio sulcatum. Coffée nuncupant Batavi & Angli, Galli Café. Ducentis tantùm abhinc annis seminis hujus vis in Arabiâ innotuit. Ferunt capras noctu ab illius esu salire visas observationi locum dedisse, harumque exemplo Yemensi Monasterio præpositum quemdam expertum Monachos inter divina noctis Officia dormiturientes, hujus infusi potu experrectos habuisse. Asseverant & Mahumetanum Sacerdotem eâdem ope diutiùs cæteris Musulmannis nocturnas preces producere solitum: Vera sint an fabulæ, nihilominùs constat virtutem animos absque turbâ à somno excitandi primam in Café infuso fuisse observatam. In devectis ad nos ex urbe Mochâ & insulis Bourbon, San-dominicanâ, Martinicâ & Cayennâ, seminibus delectus quidam ad efficacem usum confert; minora ac subviridia grana majoribus iisque albescentibus præstant odore ac pondere. Nitida ac involucris spoliata torrentur in fictili vase patenti potiùs quàm aheneo aut ferreo cooperto; color ex cæruleo nigricans exquisitæ torrefactionis gradus est; molâ trusatili clausâ rectiùs quàm mortario ad quantitatem ex tempore necessariam conteruntur. Unaquæque ferventis aquæ libra pro unâ pulveris in eam injecti unciâ salibus sufficienter imprægnatur. Has potûs hujus parandi leges plurimorum annorum experimenta in Europâ docuere.

I V.

RERUM saluberrimarum ea est sors, ut exitiales ab usu fiant: Multa ad alimentorum potulentorumque salubritatem adjuncta externè concurrunt. Café infusum aliis salutare, aliis inutile, aliis detrimento vertitur. Sorbentis temperamentum, dispositio, sorbitionis ratio, causa, tempus; singula hujus bonitatem constituunt. Nec omni conditionum generi convenit: sibi congruum iniquè autumarent duris corporum exercitationibus addicti, novam motûs dissipationisque causam respuit eorum sanguis assiduo jam labore attritus. Potum hunc Litterati imprimis aliquot abhinc annis sibi arrogarunt, peculiarem hunc eorum conditio postulabat. Vinis, Cerevisiâ, Pomaceo haud satis præter prandiorum cænarumque tempora juvantur; minùs efficacia his communibus potulentis auxilia quassatum studiis caput experitur, imò eorum usu aut obnubilatum gravatur, aut pro momento allevatum statim concidit, fitque novo oneri impar. Suppetiasne exinanitis promptiores ferent spiritus ardentes vulgò dicti, è vinosis hisce liquoribus eliciti? Suâ quidem vi actuosâ præsentem è languenti ingenio scintillam educent, sed brevi extinguendam, nec sine inordinato superstitum spirituum animalium motu, nec sine oris siccitate, immodico corporis ardore ac viscerum obstructionibus. Læsamne in ventriculo coquendi facultatem levis aquæ potu reficient? Illa cibos quidem contritos diluet, explicabit, fermentationique aptiores reddet; perfectæ verò chylificationis producendæ impos nauseas & ructus movebit. Negatam ab aquâ simplici opem in Thée infuso forsan invenient? Quam autem illud præbebit, cujus sudores urinamque ciendi munus est, spiritus amissos non instaurandi. Numquid citiùs Chocolatæ usu refocillabuntur? Obstat crassioris olei copia abundans Cacao quo depsitur, novum stomacho pondus, digestu difficile, Cardialgiæ nonnunquam fomes. Hæc quæ in variis potibus ex fermentatis fructuum succis, vel ex foliorum aut seminum infusis desiderantur, unicum Café tostum ad selecti hujus hominum generis incolumitatem præstabit. Miræ virtutis causam educta illius torrefactione principia indicant; partium oleosarum salino-volatilium quibus turget copiam probat recreans odor nulli similis à circumfudanti oleo latè diffusus. Excellentiam arguit compacta ejus textura, quâ concremationi diutiùs

resistit, dùm pleraque plantarum semina vel leviori ignis vi in carbones principiis spoliatos rediguntur. Nec totum quo Café constat oleum ad granorum superficiem igne amandatum credas? Et id singulare præ cæteris habent, ut ipso oleo intima eorum loculamenta scateant, saporemque gratum torrefacta conservent, non nisi triti pulveris vetustate immutandum. Quanta Litteratis tam salutarium principiorum singularis proportio non pollicetur? Quid ab infuso salibus suaviter hoc oleo intricatis non sperandum? Primus salubrem effectum acceleratâ alimentorum divisione stomachus sentiet, digestionis functioni hac sorbitione factus aptior. Hic potus celerem sanguini motum salvâ ejus compage conciliando, liberiorem secretionibus locum præbebit, cerebro spiritus animales suppeditando absque eorum influxûs ad partes alias defraudatione animos diutinæ applicationis vigiliarumque magis patientes reddet.

V.

MULTOS si audias, hunc in potum convicia ingerunt; utilem negant, quòd jam in consuetudinem abiit; consuetudini servire Litteratos nolunt; eos moris tyrannidi obtemperare vitio vertunt; potionem hanc ludicræ occupationi magis quàm certæ utilitati destinatam, velut medicamen alterans proponi rident; virtutes ad sorbentis cujuslibet arbitrium agere creditas tanquam dubias spectant; quin & incommoda nonnulli illius ex usu recensent, constrictionem alvi, emaciationem, insomnia & quandoque fluxus dysentericos. Vanæ ratiocinationes minùs attendentium ad seminis hujus tosti principia! Futilia ignorantium infusi hujus convenientiam cum studiosorum indole argumenta! Quæ objiciunt, illa sunt abusûs non recti usûs mala. Cautiones suas habet spectata hæc à quibusdam velut indifferens, ab aliis veluti noxia potio. Tutiùs frequenter propinabitur ab obesis facili studio incumbentibus, corporis desidiâ in Musæo saginatis, & in quibus bilis non prædominatur: rariùs utantur macilenti quorum sanguis acrior, iique sibi vel minori quantitate pulverem infundant, vel Amygdalino aut Vaccino lacte temperent, nec nisi præmissâ panis bucculâ, vel aquæ cyatho sorbeant. Quantò ad Litteratorum salutem præstantius cæteris potibus infusum illud quod, medendo, eorum sapit gustui, quod animum solo odore recreat. Quanti apud eos faciendus liquor cujus repetiti haustus pacatum sanguini motum absque spirituum animalium turbâ concitant, cujus sorbitio iis nulli ferè horæ diei non convenit? Mentem manè acuit, hebetem excitat, hesternâ operis Litterarii compositione exhaustam inventioni aptiorem reddit; à prandio, digestionem juvat, ingenium ciborum mole obrutum ac Bacchi quandoque tumultibus caligans expedit; sub vesperum, capiti diurno labore exinanito auxiliatur, Cephalalgiæ succurrit; à cænâ, torpidos animos exhilarat, vigiles sustinet, memoriamque rerum noctu discendarum onere fatiscentem sublevat.

Ergô Litteratis Café usus salubris.

Proponebat Parisiis ANTONIUS BERGIER, Sequanus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1741, à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1741.